

ii, qui sunt ejusdem *gentis ac nationis*. Et quemadmodum parentibus, liberis, domesticis, propinquis, necessaria vitæ præsidia debentur maxime: sic victus communis, consilia, & sermones, cohortationes, in amicitias vigent maxime. Conf. Aristoteles Nicom. Lib. IX. Cap. IV. XI. & XII. Interdum & *objurgationes*; secundum illud Plauti Trinum. Act. I. sc. 1: *Amicum concastigare ob meritam noxam, immune est facinus, verum in atate utile & conducibile*. Denique omnes homines, ignoti etiam; ut supr. Th. IV; & quandoque indigni. Hoc docet Cic. noster Lib. II. Off. c. 14: *Nec religioni contrarium est, nocentem aliquando impiumque defendere. Vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert hoc humanitas*. Et inimici. *Nec verò audiendi sunt, què graviter irascendum inimicis putant*. I. Offic. c. 25. Hoc certe natura præscribit, ut homo homini, quicumque is sit, ob eam ipsam causam tamen, quod is homo sit, consultum velit. III. Off. c. 6. Seneca: *Ad ultimum usque vita finem in actu erimus; non desinemus communi bono operam dare, adjuvare singulos, opem ferre etiam inimicis*. De Otio Sap. c. 28.

XIII.

Atque isto quidem ordine Tullius Gradus Societatis enumerat; cum alii morum doctores etiam Parentes patriæ, sive Magistratus, Præceptores, Evergetas, Vicinos &c. suo quosque loco inferere soleant. *Magistratus* enim, tanquam publicus parens, in locum liberorum adoptasse populum videtur. Flor. Lib. I. c. 9. *Præceptores* sunt altiores & curatores nostrorum non quidem corporum, sed animorum. Quintil. Lib. II. Instit. c. 10. & Simplic. in Epiet. c. 37. *Evergetas* amore, grato animo & officiis, non prosequi, & est turpe, & ab omnibus habetur. Vid. Senec. III. de Benef. c. 1. De *Vicinis* egregius exstat locus apud laudatum Simplicium in Epiet. c. 37: *Civis autem,*
B 3
si etiam